

**CULTUS S. ALFONSI ET FILIORUM EIUS**

**Corpus sodalis nostri P. Gulielmi Janauschek  
in ecclesiam nostram reportatur**

Cum de vita virtutibusque ac morte huius sodalis nostri in hoc commen-tario verba faceremus<sup>2</sup>, de fiducia etiam locuti, qua homines multi eius intercessionem implorare cooperant, et de precibus his a Deo misericordissimo exauditis, tum scribendi finem fecimus his verbis: « Nos autem pro tot virtutum exemplis Deo gratias agentes animam hanc bonam eius misericordiae commendamus, quid Domino placitum sit facere, exspectantes ».

Octo fere anni a Patris Janauschek morte transierunt, eius autem memoria extincta non est, ut fieri solet, cum homines mentes animosque a vita defunctis ad viventes, qui ob oculos versantur, convertunt. Ad tumulum eius in coemeterio publico statim homines pii confluere cooperunt, qui grato animo pro eius aeterna quiete Deum rogarunt, sed simul intercessionis eius opem implorabant persuasum sibi habentes animam tam sancti hominis iam Dei vultum cernere. Quocumque die, sive festo sive profesto, illuc venires, semper P. Janauschek tumulum hominum turba circumdatum et floribus luminibusque ornatum invenire poteras. Ad nos autem saepissime litterae allatae sunt, quibus homines pii protestabantur se Patris Janauschek intercessione variorum negotiorum molestiarumque levamen expertos esse<sup>3</sup>. Commentarii nostri *St. Clemens-Blätter* paginae huius rei testes sunt, quae singulis mensibus gratorum animorum significati-bus sufficere vix potuerunt.

<sup>1</sup> Eas luce impressas vides in « Bulletin de l'Association Charles de Foucauld » Ian.-Febr. 1930, p. 13 et 15. Cfr. etiam JOHANNES JOERGENSEN, *Le Livre d'Outremer*, p. 299-313. — Haec notitia benigne a R. P. Petro Masson nobis communicata est.

<sup>2</sup> *Analecta* V (1926), 350-356.

<sup>3</sup> Cfr. *Analecta* IX (1930), 220 sq.

Quae cum ita essent, cumque homines versuti piorum devotione abuti coepissent ad negotia profana lucrumque faciendum, quod nos in coemeterio extra urbem posito et longissime a domo nostra distanti impedire non potuimus, de reportando Patris Janauschek corpore in ecclesiam collegii nostri ad Scalas B. Mariae V. cogitare coepimus. Assentiente Eminetissimo Ordinario Vindobonensi, permittente Sancta Sede rescripto a. S. Con-



FIG. 1. — Servi Dei Gulielmi Janauschek exuviae mortales die 15 Apr. 1934 e caemeterio Vindobonensi in urbem referuntur.

gregatione Concilii dato, obtenta denique venia magistratus civilis, qui tum adhuc in socialistarum potestate erat, ad rem exsequendam accessimus.

Sub ecclesiam nostram ex antiquissimis aedificiis, quarum pars usque ad Romanorum tempora referenda esse videtur, crypta quaedam exstat, in qua aedicula inveniebatur excipiendae arcae cum corpore defuncti aptissima. Haec itaque paucis instauracionibus factis electa est, in quam corpus P. Janauschek e coemeterio transferretur.

Paratis omnibus die 13 Aprilis huius anni tumulus apertus corporusque ex eo extractum est. Medici, qui aderant, inspecto cadavere corpus P. Janauschek ita resolutum esse edixerunt, ut octo annorum quieti in sepulchro respondet. Ex arca lignea, in qua sepultus erat, omnia in metallicam duplarem translata sunt, qua bene clausa et ferruminata comitantibus tantum Congregatis nostris arca cum pretioso onere curru ferali in valetudinarium

ven. Sororum tertii Ordinis S. Francisci, in quo P. Janauschek aegrotus decubuerat mortuusque est, delata ibique in aula maiore pulcherrime ornata exposita est. Eodem die hominum concursus affluentium, ut Patrem Janauschek venerarentur, incepit, qui duobus sequentibus diebus interruptus non est, ita ut fortasse 50 000 hominum eius visendi gratia advolasse dicendum



FIG. 2. — Eadem pompa in eadem via, vulgo *Kärntnerstrasse*.

Religiosa illa ultima est Soror Bartholomaea, quae Patris Janauschek ad mortem aegrotantis curam habuit eumque post obitum illico invocare coepit miro cum effectu.

sit. Die sequenti et die 15 Aprilis, quae erat Dominica II post Pascha, a primo mane usque ad meridiem sacerdotes tum nostri tum extranei sacra litarunt ad altare ibi erectum. Die ultimo ipse rei publicae supremus praeses Gulielmus Miklas, qui frater est unius e Patribus Provinciae nostrae, sacro aderat non secus ac magister civium Vindobonensium (*Bürgermeister*).

Post meridiem diei 15 Aprilis hora quarta ex aula illa Sororum S. Francisci pompa funebris mota est, quae tamen, si non videres vestes liturgicas nigri coloris currumque funebrem, magis pompa triumphali similis videretur. Arca cum corpore mortuo vehebatur urbis Vindobonae curru funebri ornatissimo. Soli sacerdotes et religiosi, ducenti vel trecenti, nec minor numerus religiosarum pompam pedibus comitabantur. Milia vero hominum in viis urbanis dispositi spectabant associationibus catholicis fere omnibus cum signis suis honoris causa astantibus. Pompam funebrem pa-

rochus proprius duxit omnesque parochi, per quorum vias funus deferebatur, cum pluviali assistantibus capellanis paratis se adiungebant. Duas horas iter duravit. In ecclesia nostra interea ipse supremus rei pubblicae Austriacae praeses exspectavit. Capitulum metropolitanum fere totum afluxit. De mandato Eminentissimi Cardinalis, qui in visitatione canonica archidioecesis aberat, Excellentissimus Episcopus Ernestus Seydl corpus exceptit caeremoniasque funebres perfecit. Reverendissimus capituli metropo-



FIG. 3. — Patris Janauschek lipsanotheca octavo post mortem anno in templum B. M. V. ad Scalas infertur.

litani decanus Venceslaus Merinsky oratione pulcherrima defunctum iam tantopere honoratum celebravit. Deposita tandem loco sibi parato arca cum corpore defuncti ingens hominum multitudo in ecclesiam, in quam caeremoniarum tempore praeter clerum religiosos que nemo admitti poterat, confluxit locum saltem sepulturae venerabunda.

Ubi in externa parietis ecclesiae parte arca cum corpore P. Janauschek reposita est, eo loco in ecclesia ipsa ad parietem lapis est collocatus effigie Sacratiissimi Cordis Iesu ornatus et cruce coronatus legentibusque annuntians ibi, quod mortale erat in P. Gulielmo Janauschek C. SS. R., resurrectionem exspectare.

Iam pii homines dilectum P. Janauschek veneraturi et invocaturi turmatim in ecclesiam conveniunt, in quam aditus toto die patet. Cum pompa funebris per vias urbanas procederet, mulier quaedam, quae decem annis dextri oculi morbo laboraverat, sanata est, ita ut nihil iam de dolore ac

debilitate visus sentiat. Haec res, non fortasse miraculosa sed certe mira, aliaque, quae iterum atque iterum narrantur, hominum fervorem magis magisque excitant, qui sanctitatis Servi Dei famam non solum conservant, sed augent. Nec desunt sacerdotes et ipsi quoque Ecclesiae praelati, qui particulas e veste vel arca sepulcrali desumptas sibi dari rogant, quas privatim venerentur. Interea a Postulatore generali nostro R. P. Carolus Peschl creatus est, qui in processu ordinario de virtutibus ceterisque rebus, quae ad beatificationem requiruntur, vices eius gerat<sup>1</sup>. Qui, cum omnia parata erunt, Eminentissimum Ordinarium Vindobonensem rogabit, ut commissionem processus inchoandi constituat.

Nos autem Dei misericordiam implorantes et ei gratias agentes « expectamus, quid Deo sit placitum ».

---

<sup>1</sup> Vide supra pag. 92.